



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XX. Sextam morborum, vulnerum, & extra ordinarirum mortium
caussam, esse etiam alios homines, qui venefici non sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

contacta veneno repente interemit, vt & corpora pariter, & animæ pessum irent. Quid dirius potest tota Acherontis curia in humanam perniciem excogitare? Ait autem Villamontius, se supplicio, quod de tam pestilente homine sumptum est, interfuisse. Nemo enim supplicio dignior est, quàm hoc hominum genus, quod quicumque magistratus finit vivere, reus est ipse omnium morborum, maleficiorum, homicidiorum, quæ in maledictis istis Orci ministris perpetrantur. *Maleficos non patieris vivere.* Exod. 22. 18. ait ad Iudices supremus Iudex. Imp. Constantinus A. & Iulianus Cæsar ad Taurum Præfectum Prætorio: *Etsi, aiunt homines magi, in quacumq; sine parte terrarum, humani generis inimici credendi sunt. quoniam tamen, qui in comitatu nostro sunt, ipsam pulsant quodammodo maiestatem. si quis magis, vel magicis carminibus assuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certe augur, vel mathematicus, aut enarrandis somniis occultans aliquam artem diuinandi, aut certe aliquid simile horum exercens in comitatu meo, vel Cæsaris fueris deprehensus, presidio dignitatis exutus, cruciatus, & tormenta non fugiat. Si verò consuetus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnauerit pernegando, sit equale deditus, unguisq; sulcantibus latera, perferat pœnas proprio dignas facinore.* L. et si. Cod. de malef.

CAPVT XX.

Sextam morborum, vulnerum, & extraordinariarum mortium causam, esse etiam alios homines, qui venefici non sunt.



Vid veneficos miramur, Orco mancipatos, morbos mortisque ferere? sub iugo sunt diaboli, vt sic agant, aguntur. Damna enim, quæ etiam solus creare potest cacodæmon, maule plerumque inferre per suos ministros, non tantum, quia quædam per homines potest perficere, quæ vel non posset, vel tam commodè non posset per semetipsum, vt dixi; sed etiam, quia sic existimat, se maiorem Deo iniuriam impingere, quando creaturis, præsertim baptismo tinctis & chrismate delibutis vitur in ignominiam Creatoris. Multi à consortio & familiaritate monstri Acherontici abhorrent, qui non abhorrent à con-

à confortio & familiaritate maleficorum. Itaque, quò ipse non potest accedere diabolus, ministros suos mittit, cum his loquuntur, edunt, bibunt, ab his, de quibus tam dira non suspicantur, esculenta, poculenta, & in illis venena, sine metu accipiunt; quin & hæreses, & paullatim ipsum atheismum. Vidimus multos superstitionibus & magicis artibus à socijs & commilitonibus suis restrictos, qui cum ipso, si apparuisset, dæmone fœdus nunquam pepigissent. Nec cum Moyse, nec cum Paulo Apostolo palàm congređi ausus est; ad illum Iannem & Mambrem, ad hunc Elymam misit, vt vtrique resisteret. Et sæpe etiam ipsi venefici cohorrescunt quædam agere, à quibus natura refugit; vt amicos inficere, prolem suam necare, ac similia, sed quia mancipia sunt Ditis, ad ea perpetranda verbis, minis, verberibus adiunguntur. Quid igitur mirum est, si hominibus nocent, cum ei pareant etiam alij, qui magi non sunt, vel tacite, & sine comminatione, venena, tela, vulnera, funera suggerenti? Sic & morbi, & morborum causæ multiplicantur; sic plures, dum veneno, aut ferro alios perdunt, peccato ipsi quoque perduntur. Satis enim est dæmoni, quocumque titulo animas ad interitum trahat. More Principis, habet in aula sua alios seruos, qui sunt intimi, & primæ admissionis, alios autem itidem suos, qui etsi non sint à cubiculis, sufficit esse à stabulis.

Exod. 7. 12.
Act. 17. 8.

*Nemo sibi, si non magnus est, promittat Olympum,
Curritur ad Manes undique, mille vijs.*

II.

Quare non opus est Medicis, non poculo Circeo, non Pnyllis, aut Maris; neque aduocanda est Dipfas anus, aut Canidia Neapolitana vnguentaria, aut Locusta ciranda, quæ boletos inficiat; sine his Agrippina Claudium maritum nouit suffocare. O quot viri vxores, aut vxores maritos, aut serui dominos, immò filij parentes, hoc magistro instigante, in morbum conijciunt, qui magi non sunt? Et tamen nõrunt, quid noceat; mille sunt historiæ, exempla quotidiana. Multi enim, quod palàm, & ferro facere non audent, offis, & medicatis haustibus consequuntur. Quamquam, vt verum sit illud diuerbium, *Homo homini lupus*, non requiruntur herbæ Ponticæ, non Moeris: ira Lycaones facit; inuidia Sauli lanceam porrexit, qua peteret Dauis.

1. Reg 20. 33.

Davidem; superbia & ebrietas Alexandrum armavit in amicos. Quid de latrocinij, quid de bellis dicam? Quot inde saucio pede, manu, capite veniunt? si tamen veniunt. Tota valerudinaria, impleta vidimus turmis vulneratorum, post vicini hostis conflictum. Quis hoc fecit? homo homini fecit. Neque in acie dumtaxat ista fiunt, sed in nuptijs, inter choreas, inter conuiuia, non iam Lapitharum, aut Thracum, sed Quiritium scyphis pugnatur; immò in ipsis curijs homines laniantur. Ibi tribus & viginti vulneribus confixus est Cæsar. Alij ne in cubilibus quidem, aut ædium suarum penetralibus securi sunt, immò in ipso *astino cœna-* ludic. 3. 21.
sulo Eglon rex Moab ab Aod percussus est. Ioab ad aram frustra 3. Reg. 2. 34.
 confugit. Non fuere venefici, qui hæc fecerunt; immò plerique amicitiam vel coluerunt, vel simulârunt, apud eos, quibus plagæ, aut cicatrices, velut quædam læmata fuerant humanæ fragilitatis. Artifices olim hodieque operibus suis inscribebant, *Apelles aut Phidias faciebat*: ad eundem modum Crates, postquam Nicodromus citharædus eius dictis laceffitus illi pugnum in os impexit, eumque suggillauit, fronti suæ imposuit tabellam, in qua scriptum erat: *Nicodromus faciebat*. Possent multi vultu pallidi, fronte laceri, oculis liuidi, brachijs aut cruribus læsi, idem inscribere: *Amicus faciebat*. Nam vna sæpe hora eisdem videt ex animo amicos, & juratos hostes. Quare sicut antea illi omnia jucunda optabat, ita postea morbos centum imprecatus, sexcentas plagas machinatus est.

Sed vincit culpam impetus animi, & præceps furor facilius veniam meretur. Illos præterire non possum, qui in studij, mensæ, ludorum, potationum socios, amicos, fratres, sæuiunt meditatio, seque mutuo per legatos, per litteras, sciente & consentiente, vel dissimulante magistratu, solemnibus formulis, ad duellum inuitant, pronocantque; in quibus aliud nihil quæritur, nisi ut is, cum quo dulces capiebantur cibi, vulneribus concisus deformatur, aut lethali ictu confossus, ex arena illico mittatur ad gehennam. Itaque non loquor de pugnis aut duellis licitis, in quibus, ut sanguini & exercitui parcat, inter duos, qui committuntur ex legitimæ autoritatis pacto, victoria consistit. Qui mos fuit olim apud Palæstinos, ut constat ex Goliæ pronocatio-

x. Reg. 17 50.
Dubrau. li. 4.
Histor. Bohem.

Robertus
Hauportius
in duobus
hac de re lib.
conscriptis.

tione, quem David funda dejecit, singulari cum eo certamine congressus. Sic, Dubrauius teste, quando Radislaus Gurimensis Princeps Missibogij filius, per injuriam inuasit Bohemiam fines, coactusque à suis tandem optimus rex Wenceslaus militem collegit, cum iam dimicaturæ essent acies: *Si aliter, exclamat Wenceslaus, nisi præliores componi, nequit, cur non potius, sine infortiun sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernimus? nulla fit mora, lorica super cilicinam vestem indutum, paruoq; ensiculo succinctus Wenceslaus in arenam prodit: at Radislaus cataphractus hastatusq; cum ingenti machera se infert. Wenceslaus signo crucis frontem pingens subito angelos vidit, atq; tunc vocem, velut ab homine promptam, audit: Ne feris: & repente Radislaus humi procumbens, veniam audacia poposcit, seq; potestati victoris permisit. Allenans prostratum Wenceslaus monuit, data venia, & dignitate ei restituta, ut contumaciam in obsequium debitum verteret; ne post grauius ab irato Numine pleteretur.* Quid, quod ipsa misericordiam, & Christi Mater, An. 1326. auctor fuit celebris illius duelli Cambrensis, in quo perfidus Iudæus, qui sacram eius imaginem impiè vulnerauerat, à sene paralytico iuuenis ipse fustibus egregiè contusus est, & superatus? Hæc ego laudibus celebranda censeo duella: nec plagæ, quæ poenæ meritæ sunt, debent deplorari.

IV.

Illa, illa forti stilo, & censoria virgula digna sunt duella, quæ priuata auctoritate, aut nulla publica utilitate, vel ad impositorum criminum purgationem, & loco iurifurandi, vel ex inueterata inimicitia, vel amore extemporalis vindictæ repouendæ, vel ad audaciæ (nec enim fortitudinis) famam gloriamque captandam, contra rationem, & omne jus instituuntur, ducibus belli, & magistratu, non minùs injustè, quàm indoctè consentientibus. Etsi enim, apud Francos Carolus Magnus hoc statuerit, in causis criminalibus, (quod postea quoque ad civiles extensum) & apud Moschos, & Danos vsitatum fuerit, vt ex Olao Magno & Saxone scimus; attamen multi, post Pont. Innocentij III. rescriptum, tradunt, quàm plurimos, quorum causa justissima erat, in monomachia succubuisse. Vt proinde vanum sit, & temerarium, ne dicam impium iudicium innocentiam, quod ita de armis sumitur, Quare & Sufius, & Anton, Bernard. Mirandula-

I metio. tit. 54.
l. ult. lib. 2. &
l. 5. leg. Fran-
cic. tit. 4. Ol-
aus. l. 1. c. 20.
Saxo. li. 5. In-
nocent. III.
c. 2 de purga-
tione vulgari.
Et Rotharij

randulanus, alijque rectè docent, eiusmodi monomachias juri nature repugnare. Quod si juri nature repugnant, rectè Canones dicunt, omnem consuetudinem in contrarium invalidam esse: nulla siquidem legi naturali consuetudo potest præscribere. Duella etiam jure diuino & sacris litteris prohibita esse, nonnulli probant ex omnibus locis, quibus Deum tentare, & occidere prohibemur. Clara saltem est probatio juris Ecclesiastici & diuini positiui. Quippe & olim hoc canones prohibuere, & perspicuis verbis Concilium Tridentinum, cuius decretum huc apponere operæ pretium est. Ita loquitur:

Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumq; alio nomine, Domini temporales; qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; eo ipso sint excommunicati; ac jurisdictione, & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, & omniū bonorum suorum proscriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrant, & ut homicida juxta sacros canones, puniri debeant, & si in ipso cōsuetu decesserint; perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causâ duelli, tam in jure, quam facto dederint; aut aliâ quacumq; ratione ad id quemquam persuasierint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetua maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumq; privilegio, seu prauâ consuetudine, etiam immemorabili.

Duellicum hoc pugnandi genus, suo etiam calculo, & quidem sub excommunicationis pœna, damnauit An. 1508. Iulius II. mense Aprili, verùm quoad Romanæ Sedis subditos dūtaxat. Gregorius XIII voluit eam prohibitionem ad omnes pertinere, sicut & Concilium Tridentinum eam extenderat: & quod Concilium statuit de solenni siue publico duello, id ipse, ob easdem causas, Anno 1582. etiam ad priuatas & non solennes duellationes hunc in modum produxit. *Crescente hominum malitia, fa-*

Bb 2

cinerosi

1. regis leg. Longobard. tit. de monomachia. loã. Bapt. Sufus lib. de iniuritia duelli. Mirandul. li. contr. Posseu. de expugnatione sing. certâ. c. 2 de Cleric. pugn. in duello.

V. Conc. Trid. sess. 25. c. 19.

VI.

Bella, que
incipit ad
tollend. dete-
stabilem.

cinorosi non desunt, qui quod publice prohibitum est, priuatum exsequi non dubitent, dum sic pœnas prædictas eludere se posse arbitrantur. Nos ad hæc euertenda plenius euidentiusq; providendum esse rati, considerantesq; duellum priuatum non minus cruentum & animæ & corpori noxiū esse quàm quod publicè perpetratur: auctoritatè Apostolicà statuimus. (1.) Illos, qui ex condicō. statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint, etsi nulli Patrini socijue vocati sint ad id, nec loci securitas habita, nullæne pronocatoria littera, aut denuntiatio- nis chartula præcesserint, censuris & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri, perinde ac si publico & consulto abusu singulare certamen iniuissent. (2.) Volentes etiam locorum dominos, si certamen ex condicō. huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non probi- buerint. (3.) Omnesq; illud fieri mandantes, instigantes, consiliū vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, comestum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut (4.) ex campo spectro spectatores, vel socios quouis modo se præbeutes, eisdem censuris & pœnis subiacere, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnatūri accesserint, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quò minus illa com- mittatur.

VII.

2. Reg. 2. 14

Damnata huius monomachiz multæ grauesq; sunt ra- tiones. Quia aut sunt, purgationis causa, aut ob vindictam, aut ob gloriam & spectaculum. Si ob spectaculum & animi caus- sa, aut ad ostendendum robur & animositatem, vt quondam in amphitheatro, vbi tot gladiatorum paria produerunt Romani; aut vt fecerunt Ioab & Abner, quando dixit Abner ad Ioab: Sur- gant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant. Sur- rexerunt ergo, & transferunt numero duodecim de Benjamin ex parte Ithobeth filij Saul, & duodecim de pueris David. Apprehensq; unus- quisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceci- derunt simul, vocatumq; est nomen loci illius: Ager robustorum in- Gabaon; si, inquam, ob alios oblectandos hoc fiat, crudele est spectaculum & amens consilium, velle occidere & occidi, vt alij recreentur. At magna est gloria, mortem non formidare, & agrum robustorum locum cerraminis appellari? apud eos for- tasse, qui audaces putant esse fortes. At qui rectè sentiunt, ita ratiocinantur, vt existiment, quemadmodum pro sola gloria hu- mana

mana non est fas bellum suscipere, ita neque licitum esse duellum
 permittere. Maior utique est gloria, si exercitus exercitum, po-
 pulus populum vincat; at si alia nulla sit causa, nisi gloria,
 injustum est bellum. Pari ergo ratione injustum erit gerere ob
 solum nominis honorem, duellum. Scio, quid hinc aliqui dicant,
 ad eos excusandos, qui videantur prouocati honorem suum posse
 defendere. Sed alius est longeque melior modus, si contra hostes
 pugnando ostendant, quis sit magis magnanimus. Plerumque
 videbis eos, qui, ut pro fortibus habeantur, & ab alijs tamquam
 timidi non contemnantur, in talem arenam, animo etiam relu-
 stante descendunt, quando in acie classicum canitur, pallere, tre-
 pidare, post principia latere, aut etiam morbum simulare, ut ha-
 beant causam manendi extra teli iactum. Tunc, tunc ostendant,
 se esse viros, si volunt esse aliqui. Certè qui præsumunt, permittere
 duella non debent; ac tot animas amittere spectaculi gratiâ, in
 quo et si etiam innocentior pars subinde vincatur, tamen obser-
 natum est ab Abulensi, plerumque plus pati prouocantes, magis
 que peccare. Hinc Abner, qui primus dixit: *Surgant pueri,*
& ludant coram nobis, victus est ab eo, quem prouocauerat, quia
 tamen *Ioab* non erat prorsus immunis à culpa, aliqui decide-
 runt de parte eius; sed plures de parte Abner. Nam mortui sunt
 ex parte Abner 360. ex parte autem *Ioab* solum 20.

Si criminis purgandi causa duella ineantur (quod olim
 magis fuit in usu) non tantum id à Christiana pietate ac reli-
 gione abhorret, verum etiam manifestè Christo aduersatur di-
 centi: *Non tentabis Dominum DEVM tuum.* Tu quis es, ut à
 DEO miraculum, aut extraordinarium innocentiae tuae, vel alienae
 signum petere audeas? Esto sis innocens: hac ipsa temeritate
 sis nocens; ut vel idcirco te Iudex tuus merito sinat vinci, quia
 omnis actio vacare debet temeritate, & nihil est à gravitate sapientis,
 errore, lenitate, temeritate disjunctius. Est autem error, leuitas, &
 temeritas putare, nullum vulnerari posse innocentem, aut ita
 sub protectione DEI, velut sub Orci galea, latere inconsulto se
 morti exponentem. Apud Romanos ignominiae causa militi
 bus audacioribus, qui nec animi, nec consilij satis haberent, vena
 sonuebatur: quae non tam poena, quam medicina fuit: ut su-
 perflua

VIII.

Matth 4. 7
 Deut. 6.

Cic lib 1. de
 offi. j. item
 lib. 4 Acad.

Alexand. ab
 Alex. l. 1. c. 33.

Bb 3

perflua

perflua sanguinis parte detracta, se magis intra gyrum rationis continerent. Pertundenda esset etiam his duellatoribus vena: extra rationem quippe est, ostendere te audacem, ut probes esse innocentem.

IX.

Denique, si, quod nunc pro dolor frequentissime fit, ad vulnera & funera se se mutuo prouocant, qui paulo prius combibebant, & colludebant, & fratres, ac amici erant, quis tali amicitiae fidat? quis eiusmodi amicum aestimet, cuius amicitiae verbo vnico potest amitti, immo negatione vnus haustus, quo iam satur alteri nequit respondere? Quod si offensio iudicium meretur, sunt legitimi iudices, apud quos causam agant. Cur ipsi simul volunt esse iudices & rei? cur iurisdictionem alienam inuadunt, & usurpant? immo cur antagonistam, si tantopere deliquit, non relinquunt carnifici puniendum? Nefas est alterius vitae clam insidiari: an palam licebit, ut & qui suadent & incitant, & qui ad locum duelli comitantur, & qui spectant, vna excommunicationem incurrant? Nec est dubium, daemone instigatore, tales monomachias iniri. Gaudet enim hominum vulneribus, vlceribus, truncatione, caedibus, morbis & mortibus, sed praecipue peccatis & exitijs animarum. Augustus Caesar, eos, qui leuem ob causam, periculis se exponerent, non tantum pro insanis habebat, sed etiam dicebat, similes esse aureo hamo piscantibus: qui plus damni, amisso semel hamo, acciperent, quam multarum capturarum lucro posset reparari. Quid isti duellatores lucrantur? nomen audaciae & temeritatis, & spem vindictae. Quid autem damni patiuntur? Ex periculo metum, ex ictu vulneris, ex vulnere mortem, ex morte certam animarum suarum perditionem. Nihil enim est certius, quam tales, cum tam malo exemplo & scandalo spectatorum, cum voluntate occidendi alterum, cum clara excommunicatione, repente, atque inter certandum morientes, aeternum damnari. Quare vel infernum esse non credunt, vel caelum non sperant, vel caeli gaudia, & inferorum supplicia nihili faciunt, meritoque pro abjectissimis & desperatissimis haberi possunt, quicumque duella indicunt, suscipiunt, ineunt. In quibus humani quoque generis iactura est, vnde & alia inconuenientia oriuntur. Nam & noua inter pugnantium

amicos,

Fulgos. lib. 7.
cap. 2.

amicos, & astantium fauores odia, damna, & homicidia gliscunt, & cædes cædem ferit. Quarum omnium calamitatum, etiam inter Christianos existentium, non solum dæmon, non solum jurati dæmonis ministri venefici, sed etiam alij homines, & vel ij maximè, qui vr bani & aulici haberi volunt, sunt authores. Ergo ad illos redeat querela, penes quos est culpa; qui ne timidi vocentur, malunt homicidæ esse, suum honorem plaris, quàm Dei legem facientes. Verè non timidi, quia audaces, vt qui Deum audent offendere, & cum Curtio, non iam in voraginem terræ, sed barathrum gehennæ insilire.

C A P V T XXI.

Septimam morborum, vulnerum, mortiumq; causam esse ipsos homines pericula sua amantes, & adeuntes, è quibus tamen, diuina ope, saepe mirabiliter eripiuntur, aut justissimè perire sinuntur.



Visquis duello se committit, periculo committit. Ipse igitur etiam sibi causa est pereundi, si perit. Sunt quidem & aliunde pericula, quia nascuntur noxiæ herbæ, occurrunt venenati serpentes, insurgunt immanes belluæ, quæ ante Adami lapsum homini nocere non audebant, (sicut nec Danieli leones, nec Paulo vipera) postquam autem Deo inobediens fuit, nec illæ ampliùs homini paruerunt; sed his omnibus accedunt, quæ homo sibi ipse facit. Periculis itaque omnia sunt plena. Neque ideò in jus vocandus est, qui ea esse permittit, Mundi Gubernator. Ad Trophonium Deum, in Boeotia, juxta flumen Orchomenon, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem adfert; ita magnis mundi malis magna plerumque bona sunt vicina. Possunt pericula inter mundi mala cenferi, sed sunt ferè bonarum virtutum causa. Pericula ple- dunt temeritatem; faciunt cautos; exercent prudentiam, fortitudinem reddunt illustriorem. Atque in primis Numinis potentiam protectionemque mirificè manifestant. Temeritatis pœnam esse, Ecclesiastes docet: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Timotheum, vt cautum faceret Apostolus, dixit: *Hoc*

I.

Plin. lib. 31.
hist. nat. c. 2.

Eceles. 3: 27:

ant. 178